DISSERTATIO INAUGURALIS DE APOPLEXIA EJUSQUE SPECIEBUS...

Mauro Ferrari



DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA EJUSQUE SPECIEBUS

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE

ILLUSTRISSIMO FACULTATIS DIRECTORE

SPECTABILI DOMINO DECANO

AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

CAMILLO PLATNER

MEDIC. FORENS. ET POLIT. MEDIC. P. O.

PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE CAPESSENDA

IN CELEBRATISS. C. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI

Die XXI. mensis Julii an. MDCCCXXVII.

UNA CUM THESIBUS ADNEXIS

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

FERRARI MAURUS

EX CHIGNOLO PROV. TICINENSI

TICINI REGII

Ex Typographia Fusi et Socii.



Haec est » vera inconstantiae, et calamitatis humanae nota »

GREGOR. HORSTIUS.



DE APOPLEXIA, EJUSQUE SPECIEBUS.

PRAELUDIUM.

Inter morbos, quibus homines saepe numero miserrime conflictantur, haud ultimum profecto tenent locum illi, qui systemati nervoso infesti sunt. Quo utilius enim hocce systema, et quo praestantior functio cui inservit, eo quoque tristior, ac perniciosior evadit corporis status, ubi illud in suis perturbatur officiis. Peculiarem vero ex hisce morbis attentionem meretur apoplexia. Ista siquidem adfectio sibi subjectos non solum alte pessundat, et ferme extra humanitatis sphaeram locare consuescit, verum etiam ipsis medicis, quia indole et natura perquam insidiosa, prompta exposuit arma, ne incessum medicina paretur. Idcirco quo gravior est morbus eo majori studio quilibet medicorum allaborare debet, ut illius naturam penitus dignoscat, et damna, qua-

tenus fieri possit, amoveat. Porro verissimum est, praeclarissimos artis nostrae Scriptores in hujus morbi investigatione jam pridem maximo cum emolumento exsudavisse — Cum itaque ego nec ingenio, nec doctrina (sunt ferme cl. Molnarii verba) ita polleam, ut aliquid novi in scientiam afferre, vel quae ab aliis dicta illustrare queam, satius fuisset, ne insulsa garrulitate, odi enim loquaces, alios fatigem, me a scribendi consilio abstinere: inque hoc sane proposito permansissem, nisi legibus accademicis, quae secus astringunt, mihi esset obtemperandum — Specimen itaque de apoplexia generatim, ejusque speciebus exponens, alienae gloriae non cupidus, libenter fateor, huc illuc e cl. Virorum penu, me perplura hausisse, quae, ut munus meum exsequar, in unum collecta nunc profero.



DE APOPLEXIA GENERATIM

Definitio,
et morbi adspectus generalis.

Salebrosum quidem est morbos haud paucos recta definitione circumscribere: haec enim praecipua morbi symptomata complectetur oportet, quibus ipse morbus ab aliis dignosci, et discriminari queat. Ita et apoplexis diversimode ab auctoribus definitur. Apud veteres apoplexia, et paralysis idem sonant. Id in primis testatur medicorum Parens Hippocrates ».Qui ex vulnere, inquit ille, impotentes fiunt corpore, febre quadam superveniente, citra rigorem sanantur. non veniente vero apoplectici fiunt dextrorsum, vel sinistrorsum (1) ». Pariter Celsus ait » re-

(1) Hipp contractus in epit· red. a Thom. Bura. edit. Venet. p. 64

solutio nervorum interdum totum corpus, interdum partes infestat . . . . utrumque paralysin appellari video (1) ».

Apoplexiae nomen derivatur a graecis vocabulis, quae *de repente percutio* significant; dicitur etiam *apoplexis*, et ab antiquis vocabatur quoque *stupor attonitus* ex eo quod ea correpti subito concidant; ab invasionis vero pernicitate, quod quasi fulmine tacti siderentur aegroti, Aëtio *sideratio* audit; a Paracelso *gutta* dicitur. Per *ictum sanguinis* nihil aliud intellexisse veteres, quam apoplexiam aliis placet. A nostratibus vulgo nuncupatur *colpo*, *accidente*.

Nos autem sequentem definitionem ab operibus cl. Scriptorum deprompfam amplexamur; repentinam nimirum omnium functionum animalium, sensus nempe, et motus abolitionem, salvis quadantenus respiratione, quae plerumque stertosa est, nec non pulsu, propter efficientiae nervosae influxum praepeditum. Perquam breviter ergo dicemus, apoplexiam esse statum morbosum, somni profundissimi imaginem praebentem, ex quo aegri suscitari nequeunt — Qui hujusmodi morbo prosternitur, ait perceleber Burserius, profundo dormientis, stertentisque hominis specimen exhibet, membris prolabentibus, ac resolutis, ore biante, et spumam interdum emittente, oculis modo apertis, languidis, et saepe convulsis, modo omnino clausis, facie quandoque turgida, coloratiore, aliquandiu sanorum simili, quan-

(1) Cels. lib. III. Cap. 27.

doque cito subsidente, et pallore suffusa, calore alias superstite, alias deperdito (1) — Tali ratione itaque apoplectici, hominibus profunde dormientibus merito aequiparantur. Praeterea ipsis ebriis similes esse videntur. Et revera si peraltente quispiam perspiciet ebrietatem ad summum gradum evectam, facile miserrimum illum somnum ne hilum ab apoplexia differre, sibi persuadebit. Verumtamen sicuti homines profunde dormientes, seque ac ebrii, ad eum tamen statum, quem diximus, non elati, excitari adhuc queunt, ita ab apoplecticis quodammodo dirimuntur.

Analogiae cum aliis morbis, et differentiae.

Inter morbos, qui cum apoplexia confundi possunt propter aliquam formae analogiam, prae aliis perpendi merentur: 1) Carus; 2) Lethargus, 3) Catalepsis; 4) Epilepsia, 5) Encephalitis.

Carus differt ab apoplexia duntaxat gradu. Carus enim non est nisi somnus profundus, placidus, absque stertore, ex quo aegri suscitari queunt licet nunquam ad vigiliae perfectae statum reducantur. Praeterea aegri interrogantibus, utut inconcinne, respondent tamen. Contra apoplectici concussi, immo puncti, ustulati, motu, sensuque carent, perpetui somni imaginem praeseferentes.

(1) Burserius. Institut. Med. pract. vol. 5. edit. Ven. p. 67.

8

Lethargus ab apoplexia distat, quoniam in illo quammaxime extremitates frigescunt: quod in apoplexia neutiquam observatur. Dein lethargus, ceu somnus profundus cum summa earum rerum, quae ad aegrum pertinent, oblivione incedit; talis attamen est somnus, ut eo correptus excitari adhuc facile, et responsum dare possit, licet obscuro saepe, brevi, inordinatoque sermone.

Catalepsis ob partium flexilitatem ab apoplexia facile discernitur. Nam in apoplexia extremitates paraliticae omnino sunt, proindeque nullo modo se se sustinere queunt: contra in catalepsi extremitates se se suffulciunt, quin immo cunctas retinent illas positiones, quae aegris impertiuntur, qua de re catalepsis morbus cereus quoque audit. Praeterea in catalepsis conscientia interdum superest, sentiunt nimirum aegri, sed nullas reactiones efficere valent.

Epilepsia, ratione sensus animalis prorsus intercepti, maximam habet cum apoplexia affinitatem; candens quippe ferrum cuti impositum ab epileptico non sentitur. Ab apoplexia tamen abludit, quod in epilepsia totum corpus, si perfecta est, convellitur inconditisque motibus exagitatur.

Encephalitis, seu illa febris angiosthenica a delirio furioso, aut sopore spoplectico comitata, non nisi sub altero schemate, soporis nimirum, cum apoplexia confundi potest. Apoplexia, niut encephalitidi soporosae summe adfinis morbus, febrilibus tamen destituitur turbis, nulla diathesi phlogistica, nulloque caloris augmento stipatur

Hypotyposis.

Apoplexiae hypotyposim, seu illius teterrimi morbi, qui mortales, quibus vitam indulget ita plerumque pessundat, ut videatur optabilius perisse, quam illi ad spiritum misere trahendum superfuisse, breviter modo exponemus. Quoties a violentis causis externis apoplexia promovetur, nulla prodroma praesto esse possunt. Ubi vero ab adversa valetudine oritur, symptomata praegredi solent, quae perturbatum, et impeditam encephali efficaciam indicant — Vertigines itaque; oculorum caligo; memoria imbecillis, ut eo momento, quo aegroti aliquid proferre volunt, obliviscantur; cephalea; narium haemorrhagia; aurium tinnitus; saepe faciei rubor; vomituritio; loquela gravis; lingua balbutiens; anxietas in praecordiis; suspiria cum respiratione stertera; somnus tumultuosus; somnia quibus frequenter expavescit aeger; incubus; lassitudinis, et stuporis sensus in membris; quandoque trismus, gulaeque constrictio spastica — sunt praecipua hujusce truculenti morbi inauspicata nuntia.

Hisce phoenomenia vigentibus post paucos, vel plures dies subito inchoat insultus apoplecticus a pertinaci cephalea, angore insolito, cervicis tensione, loquela praepedita, motuque linguae suspenso. Interdum cor vehementer palpitat, pulsus suspenduntur, salivae guttulae aliquot ex ore fluunt. Omnes sensus constanter evanescunt, musculi, quorum actio nutum

voluntatis sequitur, labefiunt, corpus insuper, quod non amplius sustinere valent, ceu a fulminis ictu prosternitur, et omni sensu, motuque privatum, stipitis instar concidit, et nil aliud superest, nisi sanguinis circulatio, nec non respiratio, quae tarda utplurimum esse consuescit.

Hujusmodi apoplecticus accessus, vel per brevissimum tempus moratur, et strictim aegrotum enecat, vel in longius ita porrigitur tempus, ut per nicbthemerum aliquot perduret — Quo frequentius vero recurrit paroxysmus eo magis aegrum praecipitat (1).

Causae.

Inter causas apoplexiae disponentes primum tenet locum peculiaris illa corporis constitutio, quam habitum apoplecticum vocant, capite praegrandi, collo brevi, facie turgida, pectore magno, corporis utplurimum obesitate, et extremitatum brevitate distinctum. Praeterea illi huic tristi morbo sunt obnoxii, quorum parentes morbo apoplectico laborarunt. Omnes expertes philiatri, ait cel. Wepferus, norunt apoplexiam esse ex illorum morborum genere, quos haereditarios nuncupant (nobis diatheses haereditariae) et qui a parentibus in liberos charactere seminali propagantur ita, ut certe stemmati fatales esse, aut ita natos disponere soleant, ut eidem mor-

(1) Curtii Sprengel. Patolog special vol. II.

bo magis sunt obnoxii (1) — Homines arthritica labe detenti huic quoque morbo disponuntur. Arthritis ipsa, inquit cel. Morgagni, saepe calculosam, alias apoplecticam quoque post se trahit affectionem (2) — Senes junioribus, caeteris paribus, ad apoplexiam procliviores esse, teste Hippocrate, qui maxime a quadragesimo ad sexagesimum annum apoplexias fieri dixit (3), cognitum habemus — Qui Baccho nimis indulgent, apoplexiae indulgent. Ebrietatem apoplexiae matrem esse jamdiu scripsit el. Cratus (4) — Qui lauta mensa, potibus Thee, Caffé, fumoque tabacci abutuntur; qui vitam otiosam traducunt, ac diutine sedent in hunece trucem morbum faedius prolabuntur. Quoad homines praedictis potionibus abutentes, et speciatim Caffé cl. Wan-Swieten effatus est, adeo enervatum corpus habuisse, ut vix languida membra attraherent, ac plures etiam apoplexia, et paralysi correptos fuisse (5). De causis proeguminis hic sufficere videtur: ulteriorem enim inquisitionem speciali apoplexiarum aetiologiae demandamus.

Causae autem, quae huic morbo prorumpendi occasionem praecipue praebent sunt: laesiones externae; tempestas frigida, et humida; vini, et spiri-

(1) Wepf. De loco affect. in apoplexia p. 521.

(2) Morgagni. De sed., et caus. morb. edit. Neap. tom. I. p. 21.

(3) Hipp. lib. citat. p. 211.

(4) Crat. consil. 37.

(5) Wan-Swieten Comment. in Boerh. aphor. tom. III. p. 366.

tuum ardentium abusus; venus furens; animi affectus effraeni, et specialim terror, et ira; excretiones subito, vel repente cohibitae (de quibus omnibus autem in speciali apoplexiarum aetiologia sermo erit). Adnotabimus solummodo calorem, frigusque alternatim sibi succedentia, testibus Baghvio, Lancisio, aliisque in causa saepissime fuisse, ut quasi epidemice interdum apoplexia grassari videretur (1).

Nosogenia.

In theoriarum constructione (utar Cl. Praeceptoris Franc. ab Hildenbrand verbis) solum usturae tam humanae, quam macrocosmicae studium sacram praebet anchoram. Nisi physiologia face praebeat benefica theoremata, et consectaria semper quid ambigui ac dubii habebunt. Leges vitae sanae necessario et normas pro vita anomala, sive morbosa exhibent (2). Ita et in hoc casu, causa apoplexiae proxima non nisi ex physiologicis somni ipsius notionibus depromi potest — In somno tollitur per tempus nervorum receptivitas cum conscientia, et suspenditur animi potestas in voluntarias actiones, reproductivis functionibus porro vigentibus (3). In somno igitur sphaera gangliaris dominium suscipit,

(1) In instit. med. Burserii. Vol. V. edit. Vau.

(2) Franc. ab Hildenbrand. Annal. Sch. Clin. med. Tic. Pars I. pag. 46.

(3) Lenhossék, Institut. physiolog. vol. II. § 508.

silente sphaera cerebrali. Ad hancce tuendam thesin plura argumenta praesto sunt. Et in primis rerum externarum impressiones pro ideis gignendis sane necessarias haudquaquam percipit homo somno correptus: conscientia, qua anima statum suum a causis externis, vel internis mutatum distinguere valet, aut perfecte amittitur, vel saltem valde obscuratur: externarum itaque impressionum actione deficiente, conscientiaque amissa, auspte sequitur natura, perceptionem, memoriam, reminiscentiam, attentionem, animique statum, voluptatem proinde, et dolorem, passiones sive gratas, ingratasve et s. p. prorsus silere. Porro quid remanet idcirco? Reproductivas functiones vigere e sola hominis dormientis inspectione affatim innotuit. Supersunt nimirum humorum circuitus, spiritus ducendi officium, secretiones et s. p. Has autem functiones ad systema gangliare duntaxat pertinere, quispiam in rem physiologicam vix ingressus perspicere valet — Ea quae de somno breviter dicere putavi, fusius quoque patebunt ex iis, quae prolocuturus sum in evolvenda, quatenus saltem vires siuent, apoplexiae nosogenia.

Apoplexia tamquam somni morbosi supremus gradus non nisi in praedominio sphaerae gangliaris, et in supremae sphaerae, seu cerebralis, inertia residere potest. Quapropter haec rebus externis amplius excitari nequit; ideoque sensus, motus, ac conscientia ad tempus saltem suspendantur oportet: contra, altera vigente, respiratio, circulatio etc. extent necesse est. Quomodo autem id fiat hujusce

pertractationis argumentum — Qui philosophandi libidine ad scribendum proripiuntur, phoenomenorum omnium rationes introspicere putant facillimum. Nos vero quibus ante oculos obversatur illud Celsi » Quae causae vel secundam valetudinem praesteot, vel morbos excitent, quomodo spiritus, aut cibus vel deferatur, vel digeratur ne Sapientiae quidem Professores scientia comprehendunt, sed conjectura prosequuntur » (1) istud pro dignitate praestare ardunm esse arbitramur — Scimus humano corpore bene valente nervos ita comparatos esse, ut mentem de mutationibus, quas ipsi patiuntur a causis sive externis, sive internis, ferme admoneant; et vicissim. Qua ratione id peragatur non aeque facile est intellectu. Ast videtur mirabilis iste conceptus animam inter et corpus, lege a Supremo rerum Arbitro statuta, tunc adesse quotiescumque efficientia vitalis per nervos, ceu ipsius efficientiae mirificos conductores, corporis partes libere circumeat. Inde enim fit, ut nervi rerum extrapositarum impressiones excipiant, easque ad sensorium commune propagent. Ideae porro excitantur in anima, quas haec, utpote natura cogitans, immortalis, a charactere materiali prorsus abhorrens, distinguit, confert inter se, et prout libuerit judicat, deliberat, agitque; nec alienae naturae, quam spiritalis, anima esse potest si has psychicas supremas operationes efficere valet — Quoties igitur efficientiae vitalis conductio praepediatur,

(1) Cels. in praefat. lib. I.

nervi propria efficientia destituti, rerum externarum impressiones vel non excipient, vel si exceperint protrahere ad centrum neutiquam valebunt. Quamobrem si anima sentiendi, percipiendi, judicandi, corporique, ut ita dicam, imperitandi facultate, nostris saltem sensibus, est destituta, quid mirum? Perspectum enim habemus, et quis ignorat? animam duntaxat sentire, motus voluntarios dirigere. Verum scimus praeterea atque sensus, neque motus perfici absque nervis, qui, veluti instrumenta tum ad accipiendas impressiones, tum ad transmittendum animi arbitrium, extant. Si igitur efficientiae vitalis conductio a nervis aufertur, aut ipsi nervi mechanice laeduntur, anima, usquequo cum corpore intimum foveat commercium, nec sentit, nec movetur, uti in sano corporis statu, licet, suapte natura, manaat, et aeternum impassibilis sit mansura.

Ex hujusmodi recensione ferme iuvito animo ad hanc conclusionem ducimur, sub apoplexia sensu, motu, conscientia, voluntariisque actionibus silentibus, impeditum esse inter sphaeram gangliarem, et cerebralem commercium, nec non praepeditam nervorum conductionem e peripheria ad centrum, et e centro ad peripheriam; e quibus omnibus ipsa apoplexia oritur, ejusque causa proxima, quae consistit in suppressa systematis cerebralis actione adeo, ut sphaera infima, s. gangliaris vigera possit.

Dico, sphaeram infimam, s. gangliarem vigere. Quaeritur modo qua ratione sub tanta corporis perturbatione haec perseveret? Id explicatu perquam est

a3

204—

difficile. Brevitatis amore nonnullas duntaxat instituemus animadversiones — In hominis microcosmo tres existere sphaeras nervosas, quae vitam explent sensitivam, quaeque universum regunt corpus, e physiologia jam abunde compertum est. Quamvis hae sphaerae sensiferae trinitatem ubique efforment, in unitatem quidem junctae adeo, ut vita sensitiva absque sensuu organici subsidio existere nequeat, attamen si spectemus functiones, quibus inserviunt (coenestesim nimirum vitae reproductivae, sensus cerebrales vitae altioris ordinis, s. cerebralis) si spectemus unamquamque sphaeram suos nervos nancisci, ope quorum in actione ponitur, neutiquam improbabile videtur, posse unam vitam prae alia vigere, quin immo etiam altera prorsus silente. Quod observatio de illo statu, quem somnum, nec non apoplexiam, dicunt, demonstrat, hominis pathologia ulterius confirmat. Nonne conspicimus in quamplurimis morbis sphaera gangliari ad imum usque gradum depressa, mira ratione propriam asservare energiam systema cerebrale? Praeterea si antitheseos legem, in oeconomia animali nunquam obliviscendam, perpendamus, alteram inveniemus rationem, cur una sphaera depressa, superstes illius munere quasi fungi, talique pacto mirum in modum exaltari, conetur. Quid ergo mirabimur, si apoplexia saeviente, in suis functionibus, ut ita dicam, sufflaminata sphaera cerebrali, vegetativa maximum assimat dominium?

Generalis diversarum apoplexiae specierum informatio.

Sicuti diversae sunt causae, quae in systemate nervoso, et quidem in illo altioris ordinis, scilicet cerebrali, efficientiae vitalis conductionem praepedire valent, ita diversae pariter esse possunt causae apoplexiam remotiori intuitu gignentes. Porro si quispiam perdiligenter rem expediat, facile comperiet, conductionem ipsius efficientiae vitalis ex duplici potissimum causa praepediri posse: a) ab infirmitate nimirum ipsorum nervorum: b) vel ab obstaculo quodam posito inter centrum, et peripheriam ipsius systematis nervosi; si e. c. abscinditur nervus, tunc conductio nunquam fieri potest; quod autem valet de nervi recisione dicere fas erit de ligatura, de compressione, uti de tumoribus, de sero, de pure et a. p.; deque nervorum ipsorum contusione — Loquendo de praepedita efficientiae vitalis conductione propter debilitatem systematis nervosi, in illam ingredimur apoplexiae speciem, quam perperam nonnulli asthenicam vocant, nos vero sanioribus pathologiae principiis affulti, nervosam nuncupabimus. — Vel vero conductionis efficientiae vitalis praepeditae causa in mechanica nervorum compressione residet, et hoc intuitu habentur tamquam apoplexiae scaturigines status plethorae, vel congestionis vasorum sanguiferorum, quae nervos hac de re comprimunt;

extravasatio vel sanguinis ipsius, vel cujuscumque humoris puriformis, lymphatici in cerebro, habentur insuper concretiones calculosae, tumores, fungus durae matris, ossificatio vasorum, vel mechanica qualiacumque irritamenta; quorum omnium causa major fit sanguinis ad cerebrum congestio, vel extravasatio letalis. Haec igitur apoplexiae species ex nimia humorum copia orta vocatur humoralis.

Ergo apoplexia aut est nervosa, aut humoralis, et haec postrema prout pendet vel a sanguinis, vel ab humoris serosi congestione denuo bifariam dividitur in apoplexiam scilicet sanguineam, et serosam — Et eu praecipuas apoplexiae species, de quibus solummodo seorsim agere constituimus summorum Virorum auctoritate adducti. Ad hasce siquidem reliquae fere omnes apoplexiae varietates commode redigi possunt.

Apoplexiae divisiones.

Apoplexia dispescitur, quoad originem in idiopathicam, symptomaticam, et sympathicam; quoad gradum in levem et gravem; quoad naturam in sanguineam, serosam, et nervosam — Quae autem a nonnullis in sthenicam, et asthenicam celebratur partitio, principiis pathologiae rationalis refragatur. Non negamus vero, statum hypersthenicum in systemate sanguineo esse posse, sed nunquam in systemate nervoso, cui respse inhaeret causa apoplexiae proxima. Asthenia itaque in systemate nervoso semper est, utut vires supprimi possent ob praepeditam conductionem.

DE APOPLEXIAE SPECIEBUS.

Apoplexia sanguinea.

Penes nostrates frequentior est apoplexia sanguinea, seu hypersthenica Incitabilistarum. Quomodo haec apoplexia distet ab encephalitide soporosa jam antehac vidimus. Hic vero animadverti meretur, non omnem apoplexiam sanguineam esse inflammatoriam, uti plures perperam censent. Ubi etiam apoplexia a congestione pendeat, nemo hercle somniabit inflammatoriam esse. Quin immo nos apoplexiam inflammatoriam primariam prorsus negamus; et tali modo apoplexia cum encephalitide sub schemate soporis apoplectici non confunditur.

Apoplexiae sanguineae hypotyposim modo explanabimus, e Cl. Scriptorum penu quidem deprompiam — Frequentius sine ullis praecedentibus signis extemplo invadit, praesertim si ex ruptis cerebri vasis, aut ex vehementiori aliqua causa sanguinem caput versus propellente proveniat — Contra praevia aliquot in casibus sunt symptomata, impetum sanguinis versus superiora indicantia: rubor faciei; turgor venarum; aestus capitis; hallucinationes sensuum; scintillae, flammaeque post pastum, vespere, vel noctu visae; susurrus aurium, lassitudo membrorum, et defatigatio; somnolentia; vertigines crebriores; loquela impedita; spirationes per somnum

stertorosae; demum pulsus tardi, fortes, plenique; haec omnia plerumque, inquam, accessum antecedere solent.

Inter symptomata vero jam praesentem apoplexiam indicantia recensentur in primis illorum augmentum, quae apoplexiam praecedunt (rarissimis nimirum illis casibus exceptis, in quibus, uti monuimus, absque signis praecedentibus de repente accessus aegrum adoritur); insuper faciei inflatio, rubicunda utplurimum; oculi protuberantes, turgidi; labia crassa; nares saepe numero sanguine repletae; os adapertum cum lingua turgida, et protuberante; haud raro sanguinis ex ore ejectio, saepius e naribus posticis, quandoque e pulmonibus prodeuns; respiratio tarda, sublimis, placida, uti in dormientibus, atque totus aer inspiratus nequaquam exspiratus; plerumque vero stertor adest, vel rhoncus; aphonia; glutiendi impotentia; abdomen plenum, et tumescens praecipue ad epigastrium; interdum contingit vomitus, modo idiopathicus, modo sympathicus; reliqua corporis superficies plus minus calet, rubet, et livescit; vix non semper cernitur relaxatio omnium musculorum, ut elevatum membrum iterum cadat; raro convulsiones, resolutio unius lateris, convulsio alterius. Ast convulsiones plerumque interitus sunt prodroma, nam ultimum vis vitalis certamen cum causa lethifera indicat, ipsam in homine destrui conatibus vitam. Pulsus vel sunt suppressi, fictitie debiles, vel pleni, fortes, saepe magni, apud veteres cephalici dicti, a praevalenti arteriarum diastole super

systolem, atque a sanguinis expansione prodeuntes. In aliquibus casibus reactiones arteriosae ita vividiores sunt, ut ingens carotidum comperiatur pulsatio; colatoria ferme omnia adaperta jacent, ac sphincteres relaxati; quare feces, urinae, lacrimae, ipsaque saliva involontarie saepius fluunt.

Mox recensitis phoenomenis si addamus subjecti dispositionem, nec non causas apoplexiam progignentes sat tuto de hujusce apoplexiae specie concludi paterit.

Itaque quoad subjecti dispositionem in primis ipse habitus apoplecticus jam supra memoratus recensetur. Dein in hunc morbum prolabuntur ii, qui vino, lautae, otiosaeque vitae se devovent, qui celibatui, et rigidae castitati se se dicant; qui uno verbo, omnibus incitamentis, quae super systema sanguineum, vel nervosum agunt, abutuntur.

Si de causis excitantibus loquatur tales esse possunt vel mechanicae, vel chemicae, vel dynamicae.

Inter causas mechanicas traumaticae comperiuntur, quae autem diversimode ad apoplexiam perducere possunt, et sequenti ratione dispesci queunt:

a) Vel affluxui sanguinis, congestionique favent, quin structuram organicam alterent; b) vel laedunt ipsam compagem organicam; c) vel aliquam vasorum rupturam, ob quam sanguis effunditur, inducunt; d) vel denique nullam visibilem ex iis adducunt alterationem, ast efficientiae vitalis conductionem praepediunt, molecularum minimarum encephali

forsan quamdam gignendo contremiscentiam, quam commotionem vocant, quaeque materialem aliquam alterationem tamen supponit, licet oculos nostros effugiat.

Inter causas dynamicas, immateriales, quae hanc apoplexiam progenerare possunt, enumerantur insolatio, et calor immodicus; omnia imponderabilia, seu lux, odores et s. p., incitamenta psychica, quemadmodum animi intensio, studium ultra modum protractum, animi pathemata, et singillatim ira, furorque.

Inter causas chemicas recensentur illae, quae irritationem in cerebrum adducendo sanguinis fluxum ibi adaugeot, et apoplexiam sanguineam ciere valent. Exemplum, ichor absorptus.

Causae autem hujusce apoplexiae laterales existere possunt in organis etiam longinquis. Ita quidquid sanguinis refluxum a cerebro praepedit, sicuti nimius turgor in faucibus, et pulmonibus, cuncta obstacula in collo, ligaturae, strangulamenta, inspiratio aeris mephitici, nimia ventriculi oppletio apoplexiam gignere queunt. Porro hic quoque afferri debent omnia momenta causalia, quae orgasmum in totum corpus inducendo sanguinem, et circulum augent, uti essent spirituosorum abusus, opium et s. p. Tandem apoplexiam sanguineam proferre valent cunctae organorum adfectiones, quae cum ipso cerebro in sympathico nexu existunt, sicuti forent ventriculus, hepar, intestina, et vesica; hinc neglecta fecum evacuatio, diu retentae urinae, morbi ventriculi, et hepatis saepe apoplexiae adsociantur.

Causae autem recensitae tum disponentes, tum occasionales ad id conspirant, ut sanguinis massa, aut volumen in encephalo adaugeatur, propter quod systema nervosum, quocumque modo pressum, in efficientiae vitalis conductione praepeditur. Quare concludimus, proximam apoplexiae sanguineae, aeque ac aliarum apoplexiarum, causam sistere in impedita ipsius efficientiae vitalis conductione.

Apoplexia serosa.

Altera humoralis apoplexiae varietas est illa, quam serosam vocant, quaeque proficiscitur ab extravasato quodam in cerebri cavitate humore seroso. Nonnulli hanc apoplexiam frigidam nuncupare mallent, sed neutiquam credendum est, apoplexiam serosam, et frigidam unum et idem esse. Serosa enim apoplexia non est semper frigida; et vicissim frigida non est semper serosa. Exemplum rem illustrabit. Apoplexia post scarlatinam, post inflammationem piae matris orta ex serosa effusione pendet, et tamen non est frigida, neque passiva. Quatenus vero hae apoplexiae serosae, ceu posthuma inflammationis considerantur, hic ideo earum sermo haud erit. Itaque de apoplexia serosa duntaxat sermonem habebimus, quam passivam, frigidamve practici vocant, de illa scilicet, quae ex vasorum, partiumque debilitate dimanat.

Hujusce apoplexiae nosographia symptomata exponit, quae plerumque eam antecedunt, et illa quae

jam praesentem indicant. Igitur inter prodroma dignoscuntur vertigo, praesertim pomeridiana, et nocturna; sopores; hebetudines; balbuties; et stupor — Paroxysmum vero apoplecticum jam praesentem significant facies pallida, et tumida; venarum depressio; membrorum flacciditas, frigusque; respiratio impedita, stertor, et sibilus major quam in sanguinea; pulsus depressus, tardus, parvus, rarus, inaequalis, atque intermittens; plerumque leucophlegmatis in toto corpore diffusa — Porro sola symptomata praedicta non sufficiunt ad hancce apoplexiam statuendam, verum requiritur etiam subjecti dispositionis, causarumque excitantium cognitio.

Relate ad subjecti dispositionem haec apoplexia homines frigidos, phlegmaticos, laxos, asthmaticos, hydropicos singillatim corripit, ubi habitus reapse apoplecticus pariter consocietur.

Inter causas excitantes illae perpendendae sunt, quae universim colluviei serosae favent, quaeque systema vegetativum labefactant, uti vita otiosa, sedentaria, somnus nimium protractus, victus viscosus, farinaceus, potus continuo aquosus, aer humidus, inclusus, et s. p. Non semper autem hujusmodi apoplexiam morbum primarium, sed plerumque esse symptoma, vel potius effectum hydropis catholici, hic monuisse juvabit.

Causa hujus apoplexiae proxima consistit in impedita efficientiae vitalis conductione ob mechanicam super cerebrum, ipsiusque cava pressionem.

* *Apoplexia nervosa.*

Quae causam non agnoscit materialem, apoplexiam oervosam, sive dynamicam vocant Nosologi perplures. Alii vero hanc apoplexiae speciem coovulsivam, sive spasticam dicunt. Nobis apoplexiae nervosae denominatio praecipue arridet.

Solet haec apoplexia praedici ah externorum sensuum imbecillitate, vertigine tenebricosa, artuum gravitate, tremore, torpore, affectionibus hystericis, atque hypocondriacis gravioribus, et diuturnioribus. — Symptomata vero accessum apoplecticum indicantia desumuntur a turgoris vitalis deficientia, ah oculis concavis, retractisque, a pulsu debili ferme filiformi, a pupillae contractione, a respiratione frequenti, sed sine stertore, et denique ab abolitione sensuum internorum, externorumque cum relaxatione uoiversa — Haec autem symptomata, uti jam alibi diximus, subjecti dispositioni causisque excitantibus jungantur oportet, ut morbi cognitio, quoad fieri potest, clarius elucescat.

Subjecta debilia, pallida, hypochoodriaca, hysterica, epileptica, pathematibus obnoxia, macilenta, et prae aliis foemioae, atque infaotes huic truci morbo magis subjaceot. Caosa vero latet in ipsa oervorum pulpa, omnes enim coovulsiones, omnis nervorum motus abnormis ad cerebrum propagatur.

Remotiores vero causae suot: electricitas per eminentiam, atque omnia impooderabilia, dein aoimi

pathemata deprimentia, uti terror, metus, tristitia, melancholia, studia nimis intensa, frigus ipsum continuatum.

Causa proxima hujus nervosae apoplexiae non nisi ex sublata conductione efficientiae nervosae, ex sublato aequilibrio inter centrum, et peripherias, interque factores vitales quodammodo concipi potest.

Aliae apoplexiae nervosae species indagantur.

Porro novas apoplexiae nervosae species suppeditant febres intermittentes larvatae, et comitatae — Secundario autem modo apoplexia nervosa in epilepticis, hystericis, omnibus mentis morbis detentis, nec non in illis, qui manustuprationi nimis indulgent exoritur — Ad apoplexiam nervosam quodammodo illa quoque spectat, quae originem ex cerebri commotione ducet, ex qua nempe oritur confusio talis molecularum cerebri atque succussio, ut nequaquam reciprocam explere queant functionem; est tamen complicata cum apoplexia sanguinea.

Praemissa generali apoplexiae consideratione, et enumeratis ejus speciebus, ipsius apoplexiae terminationum enucleationem rerum ordo postularet. Verum, ne longior videar, in hac, quam exaro, dissertatiuncula libenter, consultoque terminationes persequi supersedeo, et, paucis duntaxat praemissis de apoplexiarum prognosi, ad ipsam medendi methodum veniam.

Prognosis.

Momenta, quae rationalem dirigunt prognosin, generatim desumuntur a causis morbum efficientibus, » symptomatibus, a morbi gradu et a. p. Idcirco, iis innixi, prognostica instituemus:

a) Quoad causas efficientes universim statui queit apoplexiam ex causis dynamicis minus periculosam esse, quam illa ex causis organicis, atque traumaticis orta.

b) Quoad symptomata dicemus, generatim pessimum signum exhibere rhoncus, stertores, orisque spumam. Hinc, ait Hippocrates » qui valentes capitis repente doloribus corripiuntur, et protinus muti fiunt, et stertunt, intra dies septem intereunt, nisi febris eos prehenderit » (1). Pariter malum praebent omen impedita glutiendi potentia, et potulentorum per nares reditus, nec non magna spirandi molestia, et sudor frigidus ex universo corpore, aut aliqua ejus parte erumpens. In apoplecticis, dixit Hippocrates, ex magna spirandi molestia subortus sudor, mortem adfert (2).

c) Quoad morbi gradum censemus, in apoplexia levi spem aliquam sanationis affulgere: contra in altiori ejus gradu curationem ne tentari quidem debere, nisi certa praedicta pernicie. Solvere apo-

(1) Hipp. Aph. 51. sect. VI.
(2) Hipp. contract. §. 65.

plexiam vehementem impossibile quidem, levem vero non facile (1).

Porro empiricis saepe saepius uti oportet signis ad futurum eventum praedicendum. Ita e. c. haemorrhagia narium spontanea boni ominis esse solet: contra haemorragia aurium plurimum fatalis.

Therapia apoplexiae generatim.

Quum medicus ad aegrum apoplecticum accedat in conclavi lucido, ac tepente eum locari jubeat, corporis trunco, capiteque paulisper erecto, pedibus contectis — Ad medelam inde suscipiendam inquiratur oportet, si id commode fieri poterit, qua temperie, aetate, sexu aeger sit; quo habitu, quam vitae rationem, dum valebat, inierit. Tum quae causa morbum fecerit, quae demum fuerint, suntque vires. Cum vero ex antecedentibus jam constet ex pluribus, diversisque causis apoplexiam originem ducere, cumque hae causae functiones nervorum afficientes simul removeri debeant, si Medicus malum ipsum tollere velit, facile emergit, in tanta earum causarum diversitate diversa pariter remedia adhibenda esse. Alia enim therapia si plethora, vel congestus sanguinis in encephalo, alia si serum, alia demum si maxima systematis nervosi debilitas in causa sint, exposcitur. Hinc patet illa, quae sanguineae prosunt apoplexiae nocere serosae et s. p. Nihilosecius in ca-

(1) Hipp. Aph. 42. sect. II.

sibus dubiis etiam a juvantibus, et laedentibus aliquid emolumenti eruitur. Huic fini ante oculos habendum est illud Celsi effatum » si nullum appareat aliud auxilium, periturusque sit, qui laborat, nisi temeraria quoque via fuerit adjutus, in hoc statu satius est anceps auxilium experiri, quam nullum » (1). Qua sententia certe nihil prudentius, dummodo ea cum judicio utamur. Etenim in hoc morbo occasio praeceps est, et haud minimum commodum a prompta, celerique auxiliorum administratione expectandum — Hisce omnibus cognitis, perpensisque ad medelam diversarum apoplexiae specierum accedere opportunum ducimus.

Therapia apoplexiae sanguineae.

Causam apoplexiae sanguineae proximam in impedita posuimus conductione principii, seu efficientiae vitalis in systemate nervoso, causam vero occasionalem in sanguinis adaucta copia, et speciatim in sanguinis ingente expansione. Cuncta itaque in apoplexia evitanda sunt pharmaca, quae expansioni favent: omniaque contra sedulo seligenda, et suppeditanda, quae ipsam expansionem infringendo, contractionem indunt.

Inter omnia therapeutica auxilia primam locum nanciscitur sanguinis generosa missio, quae sine cunctatione instituitur, necesse est. In hujusmodi ope

(1) Cels. lib. II. cap. 2.

quantum praesidii reperiatur tum hic, tum alibi, ostendit natura, suadet ratio, confirmat medicorum cujusque aevi consensus — Generosa itaque sanguinis missio, ut dixi, esse debet, et vulnus fiat latissimum, quo sanguis confertim affluat. Quantitatem vero sanguinis detrahendi e viribus aestimamus, quod definiendum semper est ab ipsius medici prudentia. Id unum meminisse duntaxat juvabit, ut nihil plus sanguinis detrahatur, quam quod sine gravi incommodo homo si valeret pertulisset — Statuta vero sanguinis detrahendi necessitate, sunt qui arterias secare anteferunt, caeteri contendunt sufficere venas. Temporalis itaque arteriae sectionem ab aliquibus propositam parum convenire putamus: hujus siquidem arteriae ramus nimium remotus est, quam ut sanguis per carotides internas et vertebrales impulsus infringi possit. Praeterea congestus, aut extravasatio sanguinis in enkephalo facilius venae, quam arteriae sectione minuitur. Pariter dicatur de aliis arteriis, quas perperam secandas nonnulli proponunt. Propterea descendamus ad venas. Brevissima via qua cerebrum expeditissime depleamus est sectio jugularium, utpote illarum venarum, quae sanguinem ab encephalo immediate subtrahunt — Porro contra hanc venae sectionem plura opponuntur. Nonnulli enim ajunt, per jugularis venae sectionem sanguinem quidem immediate e cerebro deduci, sed tanto plus sanguinis ob id ipsum convehi ad cerebrum per arteriam carotidem. Alii dicunt, compressionem supra jugularem factam sanguinis progressum praepedire,

talique pacto congestionem in encephalo adaugeri. Ast harum, aliarumque objectionum responso brevitatis amore hic supersedemus, et Lectorem ad aurea cl. Morgagni scripta de sedibus, et causis morborum in apoplexiae capite, demandamus — Ubi igitur fieri potest semper est instituenda sectio jugularis. Si vero minus hanc venam adhibere concedatur, praesto sunt venae e brachiis, vel etiam extremitatibus inferioribus.

Praemissa phlebotomia libenter recurrimus ad locales sanguinis depletiones, quas optime hirudinibus ad tempora, ad emissaria Santorini, vel retro aures adplicitis efficimus. Dum a suppressa se = excretione habituali, pone ab epistaxi, pendet apoplexia, punctis narium, et in genere loco, cui suppressio respondet, perutiliter admoventur. Hirudinum numerus casui adaptetur oportet.

Cathartica leniora quoque maxime juvant. Quatenus vero systema sensitivum in apoplexia sanguinea, aeque ac in aliis, torpidum evadit, et iners, itaque remedia non nisi ad doses majores propriam evolvunt actionem.

Inter remedia externa, in communem curae deprimentis scopum conspirantia, spectant potissimum:

1) Epitemata frigida ad frontem, vel melius ad totum epicranium, demptis antea capillis, diligenter replicata, quorum efficacia adaugetur aceto vel nitri, salisve ammoniaci solutione (fomenta Schmuckeriana). Beneficam eorum actionem concipimus tum ex detracto calorico, quod per exorbitantem in vasis ca-

pillaribus cerebri incitationem plus justo evolvitur, tum ex imminuta vasorum turgidorum capacitate, atque infracta per frigoris influxum factoris vitalis expansivi potentia, et s. p. Quapropter etiam hujusmodi generis remedia a quibusdam medicis repercutientia appellantur — Possent ne ipsae mercurii vivi, ceu optimi calorici conductoris, fomentationes proponi?

2) Adhibita semper phlebotomia, localibus sanguinis emissionibus peractis, remediisque repercutientibus applicitis, cutis irritamenta pariter plurimum conferre possunt non tam ad totalis incitationis vitalis exorbitantiam compescendam, quam potius ad localem affectionem sublevandam. Quum vero instantanea indigeatur actione cantharides hoc intuitu neutiquam prosunt, sed potius aqua fervens ad extremitates inferiores, quae cito cuticulam elevat, vel etiam cera hispanica accensa, et corpori admota, atque ipsum ferrum candens — Hic quoque enumerantur cucurbitulae scarificatae, sicceque femoribus, pedibus, brachiis, occipiti appositae, a quibus saepe numero non levem retulimus utilitatem.

Odoramenta in hac apoplexiae specie non tantum haud prosunt, verum etiam palam noxia sunt, si intempestive iis utatur, quoniam stimulum specificum pro olfactus organo sistunt, ideoque adfluxum sanguinis, et efficientiam vitalem in nervis intendunt. Verum temporis progressu, remediisque jam enucleatis adhibitis, cum aliquo emolumento odoramenta quoque in usum trahuntur, quae vero semper mitia

esse debent. Hoc intuitu e. c. acetum per eminentiam convenire putamus.

Therapia quarumdam apoplexiae sanguineae varietatum.

In apoplexia traumatica diversa in usum trahi debent pharmaca, atque auxilia chirurgica, uti essent incisiones, trapanatio et s. p. quae omnia ad forum chirurgicum pertinent.

Si apoplexia ex causis manifestis atque amovendis ortum habuisset, tunc luculenter patet, indicationem omnium primo ad id collimare debere, ut causae auferantur. Ita si post pastum ob nimiam ventriculi repletionem apoplexia oriretur, indicatio erit, materiem e ventriculo evacuare. Cum autem emesis nimium sanguinis affluxum ad caput advertat, hoc in casu primum venae sectiones instituantur, indeque emesis cietur. Emeticum vero si per os, impedita deglutitione, propinare nequimus, illud per clysmata, vel per injectiones, vel demum frictionum ope porrigere erit opportunum.

Monitio.

Admonere hic juvat, statum vesicae in apoplecticis esse comperiendum. Etenim scimus, quod plerumque sub sphincteris ani relaxatione illud vesicae contractum spasmodice sit, et urinarum exitum interdicere soleat (id etiam quandoque contingere

potest ob aegroti dementiam). Urinae autem retentae si causae apoplexiae haud fuerint, eam tamen intendere, et adaugere possunt. Quapropter abdomen in apoplecticis semper explorare debebimus, ut si urinae in vesica nimia in copia collectae sint, catheteris ope cito educantur. Summa Cl. Morgagni opera, quae fusius hac de re tractant, consulere optimum erit (1).

Si sub continuo remediorum usu aegri apoplectici ad se redeant, et omine bene auspicato sensus restituantur, tum aegroti oculos aperire incipiunt, et linguam balbutiendo movere. Hoc quidem tempore ad vires suffulciendas caute incedendum erit cum antiphlogisticis, et potius ad ea confugiemus auxilia, quae nervos grate afficiunt, sicuti foret acetum cum aqua, vel aliquod lene aromaticum. Ut autem vires suppressae, vel ferme extinctae restaurentur, ut asphyxia, quae interdum supervenire solet, praecaveatur, ad lenora stimulantia confugere opus est. E stimulantium vero classe, illa seligenda sunt, quae efficientiam nervosam reficere valent, quin circulationis motum accendant, quemadmodum sunt omnia diffusibilia, nervina, viribus recreandis apta quantumvis per solos poros, ut ajunt, inorganicos in organismum suscipiantur, e. c. camphora, moschus, acetum fragrans, ammonia pura; nunc interne, refractis tamen dosibus; nunc externe, sub forma aurae, vel odoramenti, adhibita.

(1) Morgagni epist. anat. med. V. cap. 8.

Therapia apoplexiae serosae.

Methodus antiphlogistica, atque venaesectiones hic adhibentur non nisi, ubi manifesta in cerebro existat reactio, vel ubi in homine quidem phlegmatico, obeso, apoplexia ortum ducat ex aliqua causa violenta — Verum nonnulli medici proclamant, inutilem, immo noxiam in serosa apoplexia esse venae sectionem, et tam quidem noxiam, quam utilis est in sanguinea, tali pacto istam Celsi sententiam explicantes: si omnia membra vehementer resoluta sunt, sanguinis detractio vel occidit, vel liberat (1). Equidem negandum non est, inquit cl. Morgagni, si ab aqua duntaxat apoplexia fit, perinde esse hanc, atque asciten per venae sectionem velle curare. Verum ubi factam ab aqua non multe constrictionem vasa distendens sanguis augeat; non ne constrictionem tutu minuet, qui hunc detrahat (2)? Et alibi ait, si cui ex malo corporis habitu apoplexia superveniat; non temere ad illud auxilii genus (ad venae sectionem) decurram, ex cujus abusu saepe malus habitus, ex hoc autem ipsa interdum apoplexia suboritur. Et paullulum inferius a sed ubi cum aqua turgentiam vasorum esse, conjeci, sanguinem mittere non distuli (3) — Ex iis conclu-

(1) Cels. de medic. l. III. cap. 27.
(2) Morgagni epistola anat. med. IV. art. 15.
(3) Morgagni loc. cit.

dimus ergo, male censere illos, qui in hac apoplexiae specie venae sectionem prorsus excludunt, aeque ac illos, qui semper eam perfici debere autumant. Porro medicus, juxtae morbi cognitioni, quatenus saltem fieri queit, uno verbo casui individuo aptetur oportet; nam indiscriminatim medicina uti, est agitae. » Qui hoc negligunt, in perniciosos errores incident, magis, atque magis ignarum vulgus excitabunt ad objiciendum nobis scomma illud turpissimum », in *medicina decantantur tenebrae*, *et noctuae philosophantur Athenis* » Baglivius (1).

Caetera auxilia in hac apoplexia tentanda in illis plane omnibus adminiculis consistunt, quorum ope universim humores e capite revellimus, quibusque vasis lymphaticis major activitas tribuitur! Hunc in finem revellentia omnia, et speciatim ea, quae cito agunt, ipsum ferrum candens, nec non diffusibilia, systema nervosum per eminentiam adficientia, quin systema sanguineum erigant, ita odoramenta peculiaria, quorum subsidio functiones intellectuales mirum in modum plerumque ad vitam restituuntur, in usum trahi possunt. Huic itaque acopo acetum, spiritus C. C., ammoniaca caustica et s. p. ad nares, et quidem super linguam adhibentur. Eundem insuper in finem etiam remedia errhina commendantur, quae chemico modo irritant membranam schneiderianam.

Emetica pariter in hac apoplexia laudata fuere,

(1) Baglivius. Opera omnia.

et quidem duplici obtutu. In primis vasorum gurgitem reserare valent, dein concussionem inducunt, et hoc pacto circulum repristinant; emetica igitur dummodo non adsint phlogoseos notae tentari queunt. Denegata deglutitione, emetica suppeditantur vel per injectiones in venam, vel per clysteres. Vomitus quoque inducitur ab irritatione cum aliqua pluma in faucibus.

Cathartica remedia magis generatim in hac apoplexiae specie, quam in sanguinea prosunt. Quapropter jalappa, senna, rhabarbarum, mercurius dulcis et s. p. hoc in casu concelebrantur.

Therapia apoplexiae nervosae.

Methodus antiphlogistica, et proinde venaesectiones, omniaque uno verbo evacuantia in hac apoplexiae specie noxia prorsus essent. Contra ea omnia, quibus vis nervosa erigitur, restauraturque, quaeque expansioni favent in usum trahantur, oportet. Inter haec enumeratione perdigna censemus; electricitatem, magnetismum, et diffusibilia, sive sub odoramenti, frictionisve ad cerebrum, ad scorbiculum cordis, aut sub clysmatum, vel unctionum forma propinata — Praeterea revulsiones vividiores haud sunt praetermittendae, quibus systema nervosum suis in functionibus suppressum liberatur. Scimus enim quod irritatio ad nervorum finem impressiones morbosas in cerebro quandoque auferre valeat — Attamen non semper in omni apoplexia ner-

vosa hac therapia utendum est; nam adesse potest plethora biotica (sit venia metaphorae) et hoc in casu frigus melius praestat, et generatim, modo negativo, illae occurrendum est.

De posthumorum apoplexiae medela hic sermonem haudquaquam habebimus, cujus ratio, uti jam supra de apoplexiae posthumis, sive terminationibus retulimus, est, ne diutius Lectores in hocce inaugurali tentamine teneamus. Idcirco mox, de ratione homines arcendi ab hocce truculenti morbo, pauca duntaxat dicemus.

Prophylaxis.

Summatim exposuimus quid sit praestandum, ut apoplexia correptis opitulemur, tum in ipso morbi accessu, tum pariter recessu. Modo igitur aliquid superest dicendum de gravissimo hoc morbo arcendo ab illis, qui hactenus intacti quidem fuere, ast affici posse suspicamur, vel qui, jam perpesso morbo, novum reformidant aggressum, quive demum in prodromis, licet remotis, versautur.

Cum vero agatur de morbo perquam periculoso maxime sane interest, ut auxilia agnoscantur, quorum ope praecaveri possit. Illi igitur qui apoplectico habitu praediti, vel cum hac mala corporis dispositione jam apoplexiae aggressum perpessi sunt, vel ipsius prodromis vexantur, sedulo se tutari debent ab illis injuriis, quae morbi evolutionem promoveut. Non solum itaque spirituosa, vinosa,

exercitia violenta, capitis malam inclinationem, motum nimium, calorem immodicum, studium protractum, animi pathemata fortiora qualiacumque evitare debent, sed simul uti certis auxiliis, ut venae sectionibus periodica institutis, repetitisque pro casus necessitate, purgantibus, diaeta adcomodata, victu vegetabili, frigore, et remediis uno verbo, quae conductionis efficientiae vitalis officium expedire valent.

Inter auxilia enim prophylactica magni est momenti, speciatim in apoplexia sanguinea, corporis situs (quod etiam in morbo jam praesenti plurimum valet) dum praesertim subjecti cubant — Generatim statuere possumus, quo faciliorem sanguinis ad caput ascensum, eo difficiliorem esse descensum. Cave enim argumentis eorum, inquit cl. Morgagni, qui docent, vim gravitatis ratione reliquarum potentiarum, motum sanguinis generantium, esse nullam, cave, inquam, tantum tribuas, ut obliviscaris non utilitatis solum, quam solertes Medici ad avertendum in certis morbis, aut in certis ad morbos dispositionibus nimium sanguinis ad caput affluxum, experiuntur ab ejus erecto situ, verum etiam, quod nemo non novit, quam celeriter in demisso capite facies rubeat, et incalescat (1).

Maximo periculo comitari contemptum illorum phoenomenorum, quae praecedunt apoplexiam, nemo hercle ignorat. Apoplexia, ait perceleber Auctor, faciliter saepe praecavetur, raro ex integro sanatur.

(1) Morgagni, Epistola anat. Med. III. artic. 13.

Inde scienter medici de hujusce morbi periculo admoneant aegros. Secus si malum limites excesserit, medicinam incassum implorabunt

Alitur vitium, vivitque tegendo
Dum medicas adhibere manus ad vulnera Pastor
Abnegat.

Memorare tamen juvabit cl. Lancisii monitum prudentissimum: cum ne timidos aegros de periculo aperte admoneamus: tum ne strenuos, periculorumque contemptores remissius alloquamur. Alteros enim moerore, alteros praefidentia jugulabimus (1).

FINIS.

(1) Jo. Mar. Lancis. Opera omnia.

